Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



86 18

nos meos. Numquid redditur pro bono malum quia
fodierunt foveam animae meae. Recordare quod steterim in conspectu tuo: ut loquerer pro eis bonum. et a
averterem indignationem tuam ab eis. Propterea da filios
eorum in famem et deduce eos in manus gladii. Fiant uxores eorum absque liberis et viduae: et viri eorum mortifentur morte. Juvenes eorum confodiantur gladio in proelio. Audiatur clamor de domibus eorum. Adduces enim super eos latronem repente. quia fodierunt foveam ut capiant me: et laqueos absconderunt pedibus meis. Tu autem domine scis omne consilium eorum adversum me in mortem. Ne propitiaris iniquitati eorum et peccatum eorum a facie tua non deleatur. Fiant corruentes in conspectu tuo in tempore furoris tui domine da nobis gratiam

In illo tempore. Dixit dominus iesus turbis in iudaeorum. Amen amen dico vobis nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam. Et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus. et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens pater et ego vivo propter patrem: et qui manducat me et ipse vivet propter me. Hic est panis qui de celo descendit. non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt. Qui manducat hunc panem vivet in aeternum. Haec dixit in synagoga docens in capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis eius dixerunt. Durus est hic sermo. Quis potest eum audire. Sciens autem iesus